

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vetere Clerico, Monacho, Clerico-Monacho, Libri Tres

Primus veterem habitum: Secundus conuictum ac disciplinam: Tertius honores ac priuilegia describit

De Clerici, Monachi Vetere Institvto. Liber Primvs - Distinctus in tres Partes. In quibus, praeter veterem eorum habitu[m], multa quoque inserta de veste veterum laicorum. Breuiterq[ue] explicata singulorum origo, & antiquitas.

Landmeter, Laurentius

Lovanii, 1626

Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11007

P R A E F A T I O.

Amice Lector,

Nos vulgò obtinuit, ut quilibet fere Religiosi dicantur Monachi, & quilibet Cœnobia Monasteria. Qui modus loquendi non omnino ab est à vero. Nā Religiosi aut instituto sunt Monachi, ut Benedictini, Bernardini, &c. aut Clericatui iunxerūt Monasticen, ut Canonici Regulares, &c. Ut res hæc facilius caperetur, decreueram, dante Deo, vetus tam Clericorum quam Monachorum institutum breuiter describere; & in quibus conueniant, in quibus discrepent, compendio explicare. Hoc enim facto, existimaram facilis fore intellectus, qualem illi vita rationem inierint, qui utrumq; institutum coniuxerunt, & ab eo Canonici Regulares, sive Canonici-monachi appellati sunt. Quædum paro, venit mihi in manus Liber De origine & vita Canonicorum, Doctiss. ac Illustris

A viri

2 P R A E F A T I O

viri Caroli à Mansfelt. Legi eum, & visa
est mihi erudita eius, de eo argumento tracta-
tio. Vnde cogitabam supprimere quæ de eodem
argumento scripseram, ne actum agere vide-
rer: fecissemque, si eadem illi, quæ mihi me-
thodus fuisset; aut, sicut Clericorum ita Mo-
nachorum quoque institutum attigisset. Iam
verò cum mihi alia methodus sic, fusiorque
tractatio: neque Clericus tantum, sed & mo-
nachus describatur; existimaui non fore inu-
tile hunc quoque meum laborem publico dare.
Præsertim cum ex Augustini sententiâ, Utile
sit plures libros à pluribus fieri diuerso
stylo, etiam de materijs ijsdem, vt ad plures
res ipsa perueniat. ad alios quidem sic, ad a-
lios autem sic. Porrò is ordo mihi seruatur.
Primo libro veterem tum Clericorum, tum
Monachorum, habitum describo. Vbi multa,
etiam de Laicorum ueste intersero. Existi-
maui enim non posse aliter argumentum hoc
accuratè tractari. Libro II. Veterem victum
ac disciplinam refiero. Sub victu, etiam quæ ad
victum necessaria sunt, comprehendo. Qualia
Clericorum & Monachorum annona ac sti-
pen-

A D L E C T O R E M.

3

pendia. Vbi, quæ de primitijs, oblationibus, decimis plerique tradiderunt, breuiter attingo. Sub disciplinâ, omnia veterum Clericorum studia, officia, labores, curas, vigilias: ac quis in quoquis horum ordo & dispensatio. Tertius liber, honores, exemptiones, priuilegia, continet; quæ Personis sacris Deus, natura, Principes, vulgus, detulere.

Sunt quidem hac ab alijs exactissimè tradita. Sed non ideo quoquis saculo homines studiosi, calatum tanquam inutilem reiecerunt, quia verissimè iam olim scriptum,

Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.

Imò potius, ideo

Æquum est vos cognoscere, atque ignoroscere,

Quæ veteres factitarunt, si faciūt noui. In pluribus erro? non diffiteor. Sed correctiō nem & instructionem non renuo. Quin potius Lectori spongiam lubens ipse porrexero, ut, si displiceo, etiam totum deleat. Rem ordinar à nominum etymologiâ.

Territus
in Eu-
nacho.

A 2

F A-